I. N. SS. T.

# DISSERTATIO MEDICA
DE
# VARIOLIS
ET
# MORBILLIS,

*Conſenſu & autoritate Gratioſiſſimæ Facultatis Medicæ in Illuſtri Salanâ,*

PRÆSIDE

*VIRO EXCELLENTISSIMO*

**DN. GEORGIO WOLFGANGO WEDELIO,**

Med. Doctore, Theoretices Profeſſor Publico, Medico Ducali Saxonico, & S. R. I. Acad. Natur. Curioſ. Adjuncto,

*Dn. Præceptore, Patrono, Promotore ſuorum ſtudiorum maxime colendo,*

Publico Eruditorum examini ſubmiſſa

*In Auditorio Medico*

*Ad diem Junii Anno M DC LXXIIX.*

Ab

A. & R.

JOHANNE ADAMO SCHOTTO

MOENO-FRANCOFURTENSI.

*JENÆ*, TYPIS SAMUELIS KREBSII.

*Q. D. B. V.*

# PROOEMIUM.

NAturali motu ad interitum Macrocoſmum, vergere veterum ſunt fabulæ. Cœlum vetuſtate ad terram nunc inclinare propius, locaque olim fœcundiſſima ſterilibus hodie arenis & ſqualore obſita eſſe, non rationis, ſed effœtæ fœtus vetulæ eſt. Microcoſmum, proh dolor! proprio motu in pejus ruere, quælibet dies docet. In hoc ſi non ubique mortem, mortis tamen præcones abunde reperias. Sæpè prius, quam naſcimur, morimur; & in ipſo utero epilepticos motus violentius calcitrando quandoq; denotare obſervatur fœtus. In lucem editus excipitur fletibus & torminibus; non rarò tenerum angit pectus tuſſis & dyſpnœa, quæ cum ſingultu ima ſurſum, ſummaque deorſum agunt.

Paucis tam felicibus eſſe licet, ut ſenilis demum ruga ipſo ſibi reddat diſſimiles. Multi ζωπικὸν faciei ἄνθος in ipſa juventute mediante Morbonâ cum Hippocraticâ mutant facie. Exemplo ſint vel ſolæ VARIOLÆ, quæ omni ferè poſthabito ætatis diſcrimine, ſi non acutorum more totum corpus è medio tollunt, omninò tamen id ipſum ſæpe deturpant, ut vix priorem referat forma faciem.

In facie maximam corporis majeſtatem poſuerunt veteres. Hæc crudeles ad manſuetudinem allicit, ſolaque indomitas trahit mentes. Hæc amantibus alter animus dicitur, adeò ut oſculantes eam, animum ipſum contingere ſibi videantur. Huic ſimile quid in totâ rerum orbitâ reperire non licet. Variolæ hanc noſtri corporis partem, licet non amittat corpus æquè omnem venuſtatem & gra-

tiam, tantopere ſæpè exuunt, ut per jocum ſulcis notata, & aratro ſubdita dicatur. Nec hic mali finis. Oculos primario infeſtare variolas, in multorum ore eſt. Cœcitatem & ophthalmiam inde ortam notarunt alii. *Horſtius* auditus hebetudinem. *Geſnerus* apud *Schenkium* perpetuam raucedinem inde obſervarunt, alii alia. Tantum igitur malorum agmen cum poſt ſe trahant variolæ, & inter multas hominum myriadas vix unus & alter per totam vitam ab his liber maneat, nemo mihi vitio vertet, ſi exercitii loco, quantum harum paginarum anguſtia, & ingenii mei tenuitas permittit, illarum curationem ſuſcipiendo labeſcenti ſuccurram naturæ. Quibus morbillorum curationem addere non incongruum videtur, cum revera cum variolis vicini ſint affectus, & ſignis prognoſticis, causâ, more, & curatione ab invicem parum differant. Tu vero noſtris, ô DEUS, annue ceptis!

## CAP. I.

*De*

# *Definitione nominali & reali.*

COnſuetam ut ſervemus methodum, nominum natalitia paucis inquirenda veniunt. Si ETYMOLOGIAM ſpectemus, Variolæ vel à variando, quod cutim varient, deſumſere, nomen, vel quod verius videtur, à varis, ut quaſi parvi vari ſint, licet non raro variolæ varos quantitate ſuperent. Quocirca antiquitas diminutivo uſa videtur, non tam ut indolem, & quantitatem horum exanthematum exprimeret, quàm ut adaptaret affectus nomen ſubjecto patienti, quod ὡς ἐπὶ τὸ πολὺ infantes ſunt tenelli. Hoc ipſum ad morbillos quoque applicari poſſe nihil eſt, quod prohibet; cum alias non niſi καθ' ἀντίφρασιν parvus ſint dicendi morbus, quod nominis vis exigit, qui cum malignâ febre ingruens ſæpe quartum diem morte antevertit. Niſi quis, Italorum more, ſub morbi vocabulo καθ' ἐξοχὴν peſtem intellectam, & morbillos parvam peſtem appellare velit.

Quoad HOMONYMIAM & SYNONYMIAM,

Quanquam variæ, eæque uſitatæ, horum vocabulorum ſigni-

gnificationes, quantum quidem memini, vix dubium reddere poſſe videntur Lectorem, de mente noſtrâ; cum ſimile quid vel nullum, vel paucum conſtet; ne tamen vel in limine hallucinemur, hæc quoque paucis delibaſſe juvabit.

Lexicographis vocabulum variolus etiam piſcem laudabilis ſucci denotat, delicatulis ſatis cognitum, qui aliàs Truttæ nomine venit. Germ. eine Forelle. Galli ſiphylidem communiter deſignant nomine grande verole? Quos imitatur *Scaliger*, dum eandem *exerc. 181.* variolam magnam appellat.

Nos hoc loco uſitatiſſimam, & lippis & tonſoribus notam ſignificationem retinemus, per variolas quidem illa intelligentes exanthemata, quæ per modum criſeos, cum malignâ utplurimum febre, plurimis ſtipata ſymptomatibus in cute erumpunt, & ſuppurantur. Germ. appellantur, die Blattern/Uhrſchlechten/ & uſitatè quoque die Pocken/quod à noſtro Picken/ vel Græco *πέκειν pectere* quidam derivant. Latinis etiam papulæ & puſtulæ audiunt. Gallis la petite verole. Græcis *ἐκθήματα, ἐξανθήματα, τερηχίσματα.* Nomine enim iſthoc generali contentos eſſe oportet, cum ſpecialis apud illos tractatio non æquè ac apud Arabes, & inprimis *Ebnſinam l. 4. fen. I. tr. 4. c. 6. & ſeqq.* occurrat, licet vel maximè Hippocratis illa *ἐξανθήματα μετὰ ἱδρῶτος ἐρυθρὰ, στρογγύλα, σμικρὰ, οἷον ἴονθοι, papulæ cum ſudore rubræ, rotundæ, parvæ, velut vari* huc referantur ex *l. 1. epid. ægrot. l.*

Per morbillos verò denotamus rubras illas maculas cum protuberantia minori & pruritu; iisdem ferè ac variolæ ſymptomatibus in cute prorumpentes, quæ tamen citius & citra ſuppurationem diſcutiuntur. Germ. die Maſern/ Kinderflecken/ Rotenſucht/ die Röten/ Gallis la rougeole vocantur, apud *Martianum* roſaliæ, qui licet easdem à morbillis Ebnſinæ diſtinguat, reverà tamen morbillos noſtrâ hâc notione ſumptos intelligit, eosdemque apud *Hippocratem l. 2. epid. ſ. 3. v. 20.* denotari aſſerit *comment. in h. l. p. 245.*

Arabica nomina ſi attendamus, variolæ dicuntur حُبَاقٌ, morbilli verò حَصْبَةٌ.

 His

His præmiſſis ad oculum jam patet variolarum & morbillorum definitio, quod illæ ſint *exanthemata in cute potiſſimum, & partibus cuti analogis, ex communi quâdam causâ, heterogenearum maſſæ ſanguineæ particularum, quæ hactenus latitarunt in corpore, ſegregationem cum ebullitione intendente, critico quaſi naturæ motu, per febrem, ſynocham putrem, imputrem vel malignam, exorta, cum tuberculis, pruritu & ſubſequente ſuppuratione.*

Hi vero, quod etiam ſint *exanthemata rubra ſicciora eaque latiora in iisdem partibus, ex eâdem, volatiliori tamen & paulo minori, materiâ cum ſymptomatibus & febre non raro vehementioribus orta, citra ſuppurationem, inſenſili transſpiratione, diſparentia.*

Genus ſeu Ratio Formalis variolarum & morbillorum ſunt exanthemata, quia à malignis utplurimum febribus dependent, & ſimul contagioſa ſunt. Febrim adeſſe non tantum δυσαρέστεια, cum calore p. n.; ſed etiam pulſus celer, liquidorum appetentia, & alia indubiè monſtrant.

Hæ febres verò non ſemper eundem ſervant genium, ſed à turgeſcentia materiæ, modo magis, modo minus reſolutionem ſanguinis intendente, uti dependent, ita regulantur. Unde ne quidem omnes variolæ ſunt malignæ, ſed etiam reſpectivè benigniores dantur. Synochas tamen eſſe has febres nulli dubitamus, quia calor hîc magis continuus, vapidus, æquabiliter auctus, citraque periodos & exacerbationes conſtanter decurrit. Inſuper etiam magis infantes & pueros affligunt, minusque ſæpe periculoſæ ſunt. Statim enim poſt eruptionem variolarum vel perfecte terminantur, vel ad minimum miteſcunt.

Parum verò intereſt, an per febrim cum exanthematibus, an per exanthemata, ceu κριτήρια hujus febris, definitio fiat, quia utrobique res eodem recidit. *Vidius l. 6. de febribus pag. 299.* ob putredinem in bilem verſam has febres præcipuè in variolis quandoque tertianas fieri ſtatuit, in morbillis verò à flavâ bile magis ardentes eſſe. Non omnes variolas diximus malignas; Notandum tamen, quod malignitas in omni ejusmodi ebullitione ſanguinis ſemper ſit metuenda, & ideo in tempore luctanti naturæ ſuccurrendum, ne malignitas nobis irrepat inſciis.

# CAP. II.

## De Subjecto.

AD ſubjectum indagandum nunc ſacer nos deducit ordo, ex cujus cognitione, cum causâ proximâ, differentiam haurire licet. Eſt vero SUBJECTUM ADÆQUATUM PRIMARIUM in noſtris affectibus, & *πρώτως καὶ κυρίως*, ſi exanthemata ſpectemus, laborans, extima potiſſimum corporis noſtri pars, CUTIS cum cuticula, microcoſmi littora. Cum enim hæc ipſa, uti vulgo loquimur, ſit pars debilior, univerſi corporis σκέπασμα, cum glandulis infinitis ſcateat, ibique vaſorum terminus, & ſanguinis maceries, meritò tum alias ſuſcipit ſanguinis quiſquilias & ſordes, tum hæc ipſa exanthemata. Obſervantur vero in hac magis eæ laborare partes, quæ rariores ſunt, calore magis foventur, & ab aere magis defenduntur. Unde in dorſo celerius, in facie tardius, ut & in manibus ac pedibus, prodeunt, & tardius etiam decreſcunt.

*Riverius de feb. peſtil. cap. 1. pag. 549.* morbillos magis copioſe in pectore & dorſo erumpere ſtatuit, quia hæ partes hepatis ſint excernicula, cui ſegregationis opus maximam partem hîc tribuit. In plantis vero pedum rariores obſervantur, quanquam vulgus ſine ratione ex illarum defectu in hâc parte easdem aliquando redituras, hariolari conſveverit. Oculi, ut hîc ſæpiſſimè, ita rarò uno afficiuntur modo. Quandoque tantum palpebræ, quandoque ipſe oculorum bulbus, adnata & cornea laborant. Quandoque ipſas interiores partes oculi affectas fuiſſe teſtatur vel amiſſus vel depravatus viſus, in iis quoque, in quibus externè nullæ apparuere puſtulæ.

Reliquas quoque interiores corporis partes, easque magis membranaceas, tanquam cuti analogas, variolis nonnunquam & morbillis quoque correptas fuiſſe, teſtis eſt experientia per ſymptomata, & ſectiones facta, idque notat *Fernelius lib. 2. de abd. rer. cauſ. cap. 12. Paræus, lib. 19. cap. 7. Bartholinus, in diatribe de pulmon.*

pag.

*pag. 9.* in ſpecie de pulmonibus idem affirmat, illosque nigros & inflammatos repertos dicit.

Cum vero febris ſimul conjuncta ſit, cor quoque, ut SUBJECTUM CAUSÆ, affectum eſſe facile pateſcit; non ſolum quoad partem contentam, ſanguinem & potiſſimum partes ſulphureas, quod ex mutato pulſu videre eſt, ſed etiam quoad ſolidam, ſepto prope apicem conterminam, in qua calidi nativi ſedes, motusque pulſus principium ſtatuitur.

Remote etiam afficiuntur reliquæ totius corporis partes, eâ ratione, quod à calore febrili, univerſali ſymptomate, accenſæ, non raro ſatis miſerè angantur.

Criticum in morem oriri variolas & morbillos diximus, quod cum dubium videri poſſit, nos hîc præmonemus, criſin eſſe variolas, non per ἔκκρισιν abſolutè factam, quæ prima & eminentior ejusdem eſt ſpecies, ſed per ἀπόστασιν *abſceſſum*.

Concurrit etiam hîc πεπασμὸς *coctio humorum*, licet non perfecta, tamen analoga; Concurrit ἐρεθισμὸς *irritatio ad expellendum*, & ἔκκρισις *excretio*. Sunt nimirum variolæ & morbilli exempla abſceſſuum univerſalium, à decenti expulſione, more, morâ, loco & tolerantia judicandorum, de quo videatur *Dn. D. Præſes, Theorem. part. 3. 3. ſ. 6. §. 52. 53.*

Neque obſtat, quod *Sennertus lib. 4. de feb. cap. 13. pag. 517.* criticum, ſymptomaticum & medium ſtatuit naturæ motum, neque enim criſes à priori abſolute ſunt dicendæ; ſed ſæpè ſolum ab eventu nomen hoc ipſi competit, quæ ſcilicet fit cum levamine, quæ vero talis non eſt, ex accidenti fit ſymptomatica excretio.

In variolis pruritum majorem & ſuppurationem conjunctam diximus, ob ibi magis abundantes easque craſſiores particulas ſeroſas, ſalinis ſpiculis inquinatas, ſulphureasque magis viſcidas, ſuppuratio verò in morbillis nulla ſequitur, quia ibi utplurimum in minori quantitate, & magis volatilis ſulphurea ad diſſipandum aptior, peccat materia.

# Cap. III.

## De

# Cauſis proximioribus & remotioribus.

SI unquam habemus, cur mentis noſtræ deploremus caliginem, certè in cauſarum cognitione tale quid occurrit; ut non immeritò felicem prædicemus, qui rerum potuit cognoſcere cauſas. Nam ſi in aliis, ceu minore longè luce, cœcutimus, ſine dubio hic tanquam in ſole cœci ſumus. Nihilominus quoque hic audendum eſt, fortes adjuvat ipſe Deus. Omiſſis igitur omnibus aliorum ſententiis, quæ numero penè cum iis, qui aliquid de variolis & morbillis literis conſignarunt, certant, quæ vero ſimilior ſit ſententia, dicemus.

Causa immediata & proxima eſt boni à malo, ſeu impuri à puro in ſanguine ſeparatio & ſequeſtratio extraordinaria.

Causa mediata proximior quærenda eſt in turgeſcentiâ particularum maſſæ ſanguineæ heterogenearum, impurarum & fermenteſcibilium uniuscujusque ſubjecti.

*Williſius de febribus pag. 173.* appellat easdem venenatas miaſmatum particulas, ſanguinem congelantes. Cum autem juxta eundem *loc. cit. cap. 15. pag. 275.* conveniat homini omni, ſoli & ſemel variolis affici, atque ita hæ ad miraculum ferè ſint univerſales, præter quas exemplum ſimile in toto campo pathologico vix reperietur, univerſalem quoque earundem cauſam eſſe indagandam, tam certum eſt, quam arduum, aliquid ob diverſas variorum Autorum ſententias ſtatuere.

Duæ verò ſunt morborum communium communes cauſæ, aer & victus. Ita in his quoque ſcriptores plerosque, qui variolarum cauſas venati ſunt, conſentire videmus. Verum heic iterum modò illi hanc, modò iſti aliam tenent ſententiam. *Arabes* enim illi diſciplinarum impigri autores, præeunte *Ebnſinâ*, hujus

affectus univerſalem cauſam victum ſtatuunt, illum cumprimis, quo in utero adhuc hærentes nutrimur.

Nonnulli recentiorum, exploſo ſanguinis menſtrui vitio, alteram morborum univerſalium cauſam agnoſcunt, ſcilicet aërem, licet hi quoque non æquè conſentiant: alii enim, quorum dux & anteſignanus eſt *Fernelius lib. 2. de abditis rerum cauſis cap. 12.* aëris alterationem petunt ab occulto quodam influxu. Alii qualitates potius accuſant manifeſtas, calidam ſcilicet & humidam aëris conſtitutionem. Rurſus alii, ut *Mercurialis, lib. 1. de morb. puerorum cap. 2.* ab aëris quidem vitio quodam univerſali derivat primam variolarum originem, ſed transplantationem tamen hodiè putat eſſe hæreditariam.

Mercurialem ſecutus *Hafenrefferus de cutis affectibus, lib. 2. cap. 4. pag. 202.* variolas hæreditate paternâ fieri ex ſanguine & ichoribus ebullientibus ob calorem, qui in corporibus excitari poteſt, variis & diverſis rationibus, ſtatuit.

*Carteſiani,* inter quos etiam eſt *Georg. Hornius in arcâ Moſis pag. 121.* à veneno innominato, ſolis hominibus peculiari, natales variolarum deducunt.

*Athanaſius Kircherus* ad vivam mortis imaginem ſeu putredinem animatam variolarum ortum refert. Huic ſubſcribit *Langius,* qui puſtulas ſeu ſordidas papulas nihil profectò aliud eſſe dicit, quàm verminoſorum effluviorum conceptacula ac hoſpitia. Menſtruarum verò reliquiarum ſeu impuritatum à materno ſanguine relictarum vanitatem & phantaſiam, qua vulgaris opinio triumphat, deridet. Quis enim, inquit, in adultis hanc præſumat?

Aſt quorſum hæc? certè Ariadnes filo nobis heic opus eſſet, quo poſſemus ex hoc controverſiarum Labyrintho nos explicare.

Aërem enim, prout qualitate humidâ & calidâ eſt præditus, non ſimpliciter poſſe cauſari variolas, vel inde liquet, quia hæ non tantum Auſtrino, ſed etiam Aquilonio aëre ſæviunt, quandoquidem epidemium in morem graſſantur. Nec ſufficit juxta

*Ferne-*

*Fernelium*, earum originem derivare ab occulto aſtrorum influxu; ſed aliquid aliud erit quærendum.

*Mercurialem* & *Haſenrefferum* quod concernit, earum opiones rationi non conſentaneæ videntur. Nam variolas non eſſe hæreditarias, indicant rationes de morbis hæreditariis à *Cl. Sennerto* propoſitæ.

*Kircherum* & *Langium* libenter ſuo abundare genio permittimus, utpote quorum opinio licet ſpecioſa, innumeris tamen adhuc difficultatibus hinc & inde ſcatet, &, licet concedatur verminoſa putredo hujus mali cauſa, ea tamen non æquè excludit ſanguinem maternum, vulgò accuſatum, ceu ex quo hæc viva mortis imago, uti vocatur, omninò poteſt oriri.

Ut ex his mæandris pateat exitus, cauſa illa quærenda videtur tum in intrinſeco principio, conſtitutione ſeu κρήσει ſanguinis humani, tum in extrinſeco, principaliter victu, ſecundariò aëre.

Concipiamus nobis ſanguineam in homine maſſam præ reliquis brutis ex partibus ſulphureis balſamicis ac ſeroſis optimè eſſe commenſuratam; eandem verò partim ob varietatem victûs & inprimis carnium eſum, ut alias inordinationes diætæ poſt dicendas hîc non memoremus, facilè excrementitias fermenteſcibiles particulas conferre; nudum in ſe corpus, & poris infinitis ſcatens, perpetuò præ aliis tranſpirare, quâ ventilatione, à ſtatu aëris præſertim auſtrino, ſufflaminatâ, tum alia febrium genera, tum exanthematicas haſce promptè conſurgere conſtat. Et ita ſanè citra ſanguinis menſtrui venenoſitatem, quam vulgò ſibi finxére, rei hujus patere poteſt ratio. Neque opus eſt, ut in illum tantum ſanguinem, qui poſt partum, in vaſis umbilicalibus, quæ funiculus audiunt, fœtus remanet, culpam hanc rejiciamus, quod *Dygbæus lib.1.medic.experiment.p.59.* facit. Neque enim vel ratio, vel ullius, quod ego quidem ſciam, probati Autoris fides id ſuadet.

Poſtquam ergò extra uterum infans jam eſt conſtitutus, non poteſt non, ab illâ loci pariter ac victus ratione inſigniter per dicta mutatâ, ſanguini inſignis quædam alteratio inferri; quæ cum ſola, ob ideam fermentativam debiliorem, ad excitandam deſubitò turgeſcentiam in maſsâ ſanguineâ, ſit inſufficiens; ſedata, & à præ-

 domi-

dominantibus natûræ amicis particulis blandis, ſeroſis, balſamicis ſulphureis obvoluta ad tempus conquieſcit. Huic adſueſcit quidem ferè natura, colligit tamen impuras quasdam moleculas fermentativas, & ſegregationem ſui ſerius ocyus urgentes, tamdiu ſcilicet ſub imperio ejusdem & jugo remanentes quietas, quam diu ab intrinſeco proprio principio quantitate non adeò excedunt, vel per ordinarias vias exitum inveniunt alium, vel ab extrinſeco aëre, contagio, aliisque occaſionalibus cauſis non moventur.

Adeoque hinc peccant humores & ſanguis *quantitate*, cum abundant; *qualitate*, & manifeſtâ calidâ acri, ſeroſâ, bilioſâ, & occultâ jam dictâ, quæ à causâ procatarcticâ jam promota ebullitionem excitavit. *Motu* denique peccat, locali inprimis: nutriens eſt ſanguis, nutritum partes, unde non poſſunt, quin recipiant partes, à nutriente ipſi intimiùs remixtum, & ceu onus à natura protruſum.

Innoxiè verò ad tempus ejusmodi morborum ſemina in corporibus latere poſſe, non tantum ex morbis hæreditariis luculenter patet; ſed & experientia loquitur, venenum canis rabidi etiam ad annos delituſſe. Quin imò pluribus idem venenum propinatum non omnes eodem enecat momento. Interdum tamen hæc fermentativa ſemina copioſiora & fortiora ſunt; ita ut levi quavis occaſione, vel etiam quandoque proprio marte, in hunc morbum maturentur. Hinc quidam citiùs, quidam vero tardius hoc quaſi debitum naturæ ſolvunt. Alii etiam facilè hoc ſuſcipiunt contagium, alii difficiliùs, prout ſanguinis ille ſtatus & diſpoſitio variat.

In motu verò conſtitutis his particulis, Archéus ſeu natura, quæ conſervationem ſui omnibus modis intendit, totalem reſolutionem averſata, ſalia illa volatilia peregrina ſanguinis, ſulphureis ichoreſcentibus particulis implicata, potiſſimùm hîc turbas dantia, quomodocunque poteſt, ad exteriora pellit, ſicut in variolis magis ſerum, in morbillis magis ſanguinem, deſpumet. Hinc illæ lachrymæ! In iſtâ verò turgeſcentiâ & ſegregatione: dum ſeri particulæ cum ſanguineis in vaſis intimiùs unitæ non manent, neceſſariò horum læditur proportio, cujus genuina ſoboles

les febris eſt, juxta *Excell.Dn.D.Præſidis part.2. ſect.4.p.47. theorem.* *54.* & quò magis hæc σύςασις turbatur, eò malignior febris ſororio eidem ſe jungit vinculo.

Facit huc ſimilitudo autorum plurium, quam ex *Abuali l.c. c.6.* hauſére, contingere nempe in variolis ſanguini idem quaſi, quod muſto, & aliis ſuccis, ſegregari fermentatione illâ partes heterogeneas feculentas, ut ſpirituoſior inde & purior emergat, uti ex mechanicâ illâ & naturali vegetabilis ſucci optimâ deſpumatione vinum. Neque enim ante fermentationem, quem poſtea largitur, ſpiritum fundit.

## Cap. IV.

### *De*

# *Cauſis mediatis remotioribus.*

INTER NATURALES excellit TEMPERAMEMTUM calidum & magis humidum, quod corruptionem & putredinem, inchoatam puta, ſeu fermentationem præternaturalem facilè admittit. Siccum veró ut ebullitioni & exæſtuationi favet; ita mobiles illas particulas heterogeneas citiùs in actum poteſt deducere.

ÆTAS quidem nulla ab hoc communi malo penitus immunis eſt, juvenilis tamen præ reliquis ad fomitem hunc ſuſcipiendum magis prona eſt, non tantum ob particularum has turbas dantium, mobilem activitatem, quæ diu latere neſciunt, omneque facilè jugum excutiunt; ſed & ob ἀδδηφαγίαν & habitum corporis cutimque magis raram, poroſque patentiores; qui miaſmata extrinſecus accedentia admittunt faciliùs. Minùs tamen periculosè hanc ipſam ætatem affici, contrà provectiori ætate graviùs decumbere eadem eſt ratio, quia in illis non minori facilitate per poros apertos depellitur hoſtis, quàm ſuſceptus fuit; in his vero cutis denſior, minoresque pori, tranſpirationi moras nectunt. Cui accedit, quod in adultioribus temporis curſu particulæ heterogeneæ nimis cumulatæ plus faceſſant negotii.

 SEXUS

Sexus vix hîc prærogativam invenit. Fœminæ tamen ob ſeroſiorem ſanguinem, uti in juventute potiſſimum, minùs periculosè laborant, ita etiam ſæpe tardiùs afficiuntur. Quam moram poſtea gravitate compenſari poſſe non improbabile eſt. Quod verò alii citius & quandoque plus vice ſimplici, & vehementiùs corripiantur, ab illorum ſanguinis temperamento, ut diximus, pendet.

Res non naturales τὸ σῶμα ἐξ ἀνάγκης ἀλλοιούμεναι, à ſtatu ſuo naturali ſi deflectunt, tale quid producere poſſe non eſt abſonum. Siquidem luce meridiana clariùs eſt, quod hæ ipſæ res corpus noſtrum pro utentis modulo & ſervent & lædant.

Primum ex his obtinet locum, quo omnes inevitabili neceſſitate fruimur, Aer, miaſmatum communis vector, non tantùm inſpiratione pulmones ingreſſus, ſed & corporis noſtri ſuperficiem circumcirca cingens, & in cutis ſpiracula ſe inſinuans. Hic verò concurrit eximiè naturali illâ viciſſitudine temporum per ſolis acceſſum & receſſum, & ubi primarum potiſſimum qualitatum exceſſum patitur præpoſterum, ac inſtabilis eſt, ut quando eâdem die modò calor modò frigus urgent, juxta *3. aphoriſm. 4.* quod plerumque vere & autumno contingit, ventis potiſſimum auſtrinis calidis & humidis urgentibus, quæ ſubita mutatio in macrocoſmo non poteſt non microcoſmo inſignem alterationem imprimere. Hinc Anni Tempus quoque ſub cauſæ militat vexillo, ſiquidem vere, juxta *Hippocratem l. 3. aph. 20.* præcipuè graſſari ſolent, vel ſaltim incipere. Accedit, quòd tunc temporis aëri inprimis diverſimoda, & hinc tumultuantia, innatent corpuſcula, quæ quocunque in corpus attracta modo, varias humorum ac ſanguinis efferveſcentias & morborum ideas ſuſcitant, adeoque ad fermentationem inducendam vitioſam plurimùm faciunt.

Huc quoque ſuum ἐπιβάλλον μέρος remotè conferunt Astra, quæ non minus ventis, ac ipſis inclinando imperant humoribus. Variolis viſi ſunt magis & periculoſiùs corripi, in quorum themate natalitio luminaria infauſtis maleficorum radiis fuere impetita, □, ☍, ☌ ♂ vel ♄ni, ☍ item ☿ii, inprimis, ſi directio ad id tempus facta conſentiat.

Inſe-

Infeſtus quoque redditur nobis aër longè præſentiùs, ſi putridis ac malignis exhalationibus inquinatus contagii evadit vehiculum. Et tunc affectus noſtri fiunt epidemii, ab unâ in aliam regionem migrantes. Hoc ipſo tempore quivis alii morbi, ceu in peſte, facilè in hunc degenerant, ſæpiusque hîc ipſæ immiſcentur vel conſociantur petechiæ.

Cibus & potus in productione variolarum & morbillorum parùm cedit aëri. Variis verò modis aſſumptus cibus peccare poteſt, quatenus vel materiam ſuppeditat, particulis fermenteſcibilibus heterogeneis ſimilem, vel easdem in ſanguine præſentes excitat & promovet. Sic illud fieri conſtat, ſi in quantitate error committatur, quod vitium plerumque in pueros cadit, & turbas in corpore dare poteſt; ſi item qualitate, quo calida & humida putreſcibilia, fructus æſtivi, piſces, muſtum, vinum Hiſpanicum, vinum cum ſaccharo & aquâ, peſſimo ſæpe conſilio, mixtum & alia ſpectant; ſi utendi denique modo & ordine. Viſi ſunt à ſolâ crapulâ in hunc morbum incidiſſe, etiam cum tunc temporis præterea nemo circumcirca in tota regione ægrotaret. Quantùm verò conferant fructus humidiores quivis, vel ex eo patere poteſt quoque, quod jamjam reconvaleſcentes, ſi his ipſis utantur, recidivent, de quo inferiùs. Ob hanc forſan cauſam *Helmontium* in ſtomacho vitium poſuiſſe credibile eſt; cui tamen non poſſumus aſſentiri, neque enim niſi pro remoto ſubjecto ventriculus hujus mali haberi poteſt.

Motus & quies non minorum ſunt virium: ille, cum corporis tum animi, latentia hujus mali ſeminia nimio ſanguinis fervore commovet, & invicem aſſociata agglutinat, quæ facilè totam maſſam ſanguineam ſuo inficiunt fermento.

Tacemus Somnum & Vigilias, quæ ipſa quoque, licet remotiùs, ſymbolam contribuunt. Hæ excrementitios humores cumulant, & putredini anſam præbent. Neſcio verò, an alius ullus morbus ideam ſui æquè poſt peſtem propagare ſoleat ac variolæ & morbilli; Hinc Contagium cauſarum Præternaturalium claudit agmen. Per hoc variolas & morbillos in alios ſerpere lateque graſſari, quælibet dies docet; ſcilicet à corpore

in.

inſecto continuò decedunt effluvia, ⊖e volatili tenui & viſcoſo fœta, acriuſcula, hiſpidula, quæ ab aliis corporibus mollioribus & diſpoſitis quocunque modo ſuſcepta intimiùs ſanguini ſe immiſcent, & cum eo inſtar veneni fermenteſcunt, ſemina latentia ſibi homogenea ſuſcitant, & in hujus morbi ideam diſponunt. Nec tantum immediato contactu hoc propagatur malum, ſed & ad remota transfertur loca. Ita enim confermentatione putredinali inductâ conſanguineos etiam diſſitos locis ob eundem ſanguinis ſtatum, eodem morbo hoc corripi in multorum ore eſt, & experientia ſæpenumero teſtatur. Obſervatum etiam eſt ſæpiùs, in timidos & hunc morbum perhorreſcentes promptiùs eundem incidere. Mater nobilis, dudum variolas experta, filii iisdem laborantis intuitu denuo easdem in ſeſe derivabat, tanto terroris impetu, ut fato cederet. Nec ratio deficit, timore enim miaſmatum particulæ, cum maſſa ſanguineâ, à ſuperficie corporis ad interiora rapiuntur. Terrore & timore laxantur ſanguinis vincula, character morboſus concipitur ab archêo, in corde & ſanguine explicantur atomi morboſæ, imò deſtitutæ ſunt ſuo præſide, particulæ etiam bonæ deſciſcunt & præter naturalem labem contrahunt.

## CAP. V.

### *De*

# *Differentiis.*

Differentiæ variæ occurrunt. Ita deſumi poſſunt

1. *ex formali ratione* exanthematum quantitate & qualitate. Aliæ ſunt majores, quæ ſummam cutis ſuperficiem arrugant, cryſtalli dictæ, die Schafs-Blattern/ Wind-Bocken/ quas plerumque ſine febre eſſe ſaltim majori ſtatuunt. *Vid. Riverius de feb. peſt. p. 548.* Aliæ mediæ, quæ uſitatiores. Aliæ minimæ & magis ſiccæ, die Stein-Bocken. Aliæ contiguæ, confluentes quaſi, aliæ diſcretæ. Ratione qualitatis, aliæ ſunt coloris albidi, pellucidi, ut majores; aliæ rubicundi, ut plerumque mediæ, aliæ violacei, viridiuſculi, flavi, nigri, ut ſæpius minimæ.

2. Ex adjunctæ *febris ideâ.* Hæc quandoque eſt imputris, ut ſæpius in cryſtallis. Quandoque ad putridarum accedit naturam, qualis ſæpius in mediis & rubris occurrit, quandoque etiam eſt maligna & peſtilens, quæ ſæpiſſimè in violaceis, nigris, minimis & aliis mali moris repéritur.

3. *Symptomatum vehementiâ*, quæ regulatur à febris & materialis cauſæ genio.

4. *Decurſus tempore*, quod ſuâ gaudet latitudine; commodiſſimè tamen in tres claſſes diſpeſcitur: 1. adeſt *ebullitio*, quæ intra quatuor dies utplurimum terminatur, ita ut hujus primus dies ſit principium, ſecundus augmentum, tertius ſtatus, quartus declinatio. 2. Hanc ſequitur *eruptio*, quæ à quarto ad ſeptimum vel undecimum fere durat. 3. Ultimo ſuccedit *ſuppuratio* & declinatio, quæ ad decimum quartum diem, & ad finem usque durat, de quo latius *Dn. D. Præſ. Tr. de febb. mſſ.* videndus.

Nihilominus ætas & temperamentum, ipſeque externus error, tam in curâ, quam in diæta, ſæpè ulterius, ſed extraordinariè hæc extendit tempora. Quod verò *Williſius* poſt vigeſimum demum diem erupiſſe obſervavit, *l. c. cap. 15. p. 181.* id tempus non omne variolis adſcribendum, ſed præcedenti forſan febri, cui coctâ quaſi hinc & maturatâ ad ἀπόςασιν materiâ ſucceſſere variolæ.

5. Ex *cauſis*, quæ quò magis vel minus ſanguinis reſolutionem intentant, vel *benigniores* vel *maligniores* fiunt; quò major quoque vel minor cauſarum urgentia, eò quoque *major* vel *minor* proventus & quantitas. Sunt, qui ebullitionem hinc duplicem conſtituunt ſanguinis in variolis & ſimilibus febribus, aliam in bonum, quæ ſegregativa dici poſſet; alteram in malum, ſeu corruptivam.

Pleræque jam allatæ differentiæ ad morbillos quoque applicari poſſunt, niſi quod horum color tantâ non gaudeat latitudine, & quod non ſuppurentur, ſed inſenſili tranſpiratione diſpareant.

# CAP. VI.

## De
## *Signis diagnoſticis.*

UT vero pateſcat, quid patiatur æger & hoc loco, variolas parturiat, morbilloſve, opus eſt SIGNIS DIAGNOSTICIS, à quorum internotione curationis dependet fundamentum. Quanquam enim non pauca horum jam in vulgus promanarint; minus tamen conjunctim conſiderata, ante eruptionem; etiam peritum per plures dies dubium ſervare poſſunt.

Sunt igitur *imminentium* vel timendarum variolarum & morbillorum ſigna generalia, ſi calida & humida ſeu auſtrina præceſſerit hiems, quæ ſubitaneas aeris, aquæ, terræ cauſaverit mutationes. Has vero, verno plerumque tempore, tale quid ſequitur, ut plures, eodem modo, his ipſis in viciniâ corripiantur.

Si per plures annos in eâdem regione non graſſatæ ſint, non ideò æquè conſtanter abſunt, &, teſte experientiâ, rarius ultra triennium emanere conſvevére. Si cum infectis, vel ſaltim his cohabitantibus converſatus fuerit æger. Si hoc malo nondum laboravit, & vel de minimo queratur ſymptomate, reſpiciendum eſt ad hæc ipſa exanthemata.

*Adventantium* jam, & præſentium in ſingulis individuis ſigna attendenda ſunt, ESSENTIALITER INHÆRENTIA; Accedit calor primo blandus, hinc acrior, vapidusque, qui continuò citra remiſſionem æquabiliter, vel ſaltim non ſine æquabili exacerbatione augetur, cum horripilatione prævia.

POST ESSENTIALIA ſymptomata omnis generis pleno irruunt impetu, in *actionibus læſis facultatis naturalis*, appetitus præcipuè ſolidorum emoritur omnis, potiſſimum ante eruptionem, deglutiendi difficultas, ob partes interiores etiam affectas, quandoque urget, cum nauſeâ & vomitu, etiam ſtomacho vacuo, ob arterias in ventriculum hiſcentes, ut non raro hujus videatur vitium. Sitis plerumque immodice torquet cum oris ſiccitate, nec æſtuantia viſcera, etiam largior, ſolatur potus, quandoque

tamen

tamen mitior eſt, vel deficit. Alvus ordinariè quaſi de induſtria ad tres, quatuor, quinque, vel etiam plures dies, occluditur.

In *facultate vitali*, quæ maximè hîc attendenda, adeſt δυσφορία & alteratio in corpore manifeſta, ut ægri ſibi fiant diſſimiles, confuſoque ſint animo. Palpitatio cordis, raucedo & reſpiratio citata & quaſi ſuffocativa adſunt, pulſus citatior, magnus, quandoque celer etiam in arteriis temporum, frequens, pedes & manus tremunt.

In *facultate animali* occurrunt dolor capitis, abdominis, dorſi, & lumborum, qui ſoli cum ſynocha ſufficiunt quandoque ad prædicendum morbum. Hæc omnia verò ab ebullitione hâc ipsâ ſanguinis febrili deduci commodè queunt, unde & in circulo ſuo non æqualiter procedit, ſed partim laxatis magis fibris ſubſiſtit, ruborem & dolorem pariens, partim peregrinis expanſis moleculis membranas & nervoſum genus ferit, ipſique ſpiritus animales, vitium hoc efferationis ad ſe derivant, & varias inordinationes cauſantur.

Inſuper urgent in progreſſu vigiliæ, ut in principio magis ſomnolentia; ſomnus verò eſt inquietus cum terrore, & non rarò deliriis. Quin ante & in eruptione ſæpe convulſivi motus alii, tum & dentium ſtridores adſunt, ut ſæpè in diſpoſitis, & ubi à graviori incendio nervoſum genus coafficitur, vix ſine his teſtibus erumpere ſuſtineant.

In variolis cutis pruritus major, in utrisque punctionis ſenſus in toto corpore, oculi rubent, dolent, illachrymantur, caligant, facies quoque rubet, tumet, nares pruriunt cum ſternutatione, & in hæmorrhagiam ſolvuntur, præcipuè in morbillis. Aures tinniunt, raucedo & tuſſis ſicca, ut & pandiculationes cum oſcitatione crebrâ adſunt, quæ omnia dependent à perturbato ſanguinis motu, & à venenato fermento ejusdem particularum reſolutione intentata.

*In excretis & retentis* occurrunt primo cutis aſperitas, cum madore & ſqualore, poſtea exanthemata quæ tertio vel quarto die, ferè primo in dorſo magis, poſtea ventre & facie, vel hinc inde ſaltim inæqualia, vel maculæ rubræ quaſi continuæ in cute erumpunt, ſucceſſivè increſcunt, ſaniemque in variolis emittunt,

 uſque

uſque ad undecimum ferè diem, donec propulsâ omni & coctâ ſenſim materiâ ſiccentur & in cruſtulas ſquamulasque fatiſcant. Morbilli verò uti citius erumpunt, ita & decreſcunt iterum, ut quinto, ſexto vel nono die res confecta ſit. Fluxus alvi bilioſus rarius occurrit & magis hæc obſtructa eſt. Extraordinarie menſes quandoque ſuccedunt, ſputum craſſum eſt, nares ſtillant ſanguine, □a ruffa & tenuis, quia natura materiam morbificam ad peripheriam propellit, quandoque ſubturbida eſt, ſanorum etiam non raro ſimilis, ex qua ſola immutata alii variolas imminere prædicunt.

In *qualitatibus mutatis* rubor faciei & oculorum adeſt, cutis aſpera ſenſim germinantia monſtrat tubercula.

Obveniunt tamen caſus, ubi prælaudata ſymptomata omnia pauciora & mitiora, viſuntur. Cumq; alii dirioribus affligantur ſymptomatibus, quidam leviſſimè ægrotant, vel ne decumbunt quidem, exanthematibus quaſi prius erumpentibus, quàm ipſi norint, ſe ægrotantium eſſe in numero.

Cum verò non uno modo extima veſtis corporis luat vitia, notæ, quibus ab aliis tum maculis, tum protuberantiis diſcernuntur, producendæ ſunt.

Tales autem ſunt, ſi poſt prægreſſa, quæ enumeravimus, ſymptomata deſubito prorumpant, ut plurimum copioſæ, puſtulæ, ſemini milii ſimiles, primo exiguæ, poſtea ad verrucarum quantitatem accedentes, ut in variolis, vel ſaltim maculæ, quæ tamen æqualitatem cutis exaſperant, & majus ſpacium occupant, quam in purpurâ, quæ cum variolis prorumpentibus fere convenit, ut in morbillis ſtatimq; poſt eruptionem paulo melius habeat æger.

Quo modo verò variolæ & morbilli à ſe invicem diſtinguantur à priori, non æquè patet. Utut enim in his febris magis acuta, & ſymptomata omnia ſtatim ab initio graviora videantur, oculi magis rubeant, illachrymentur, hæmorrhagia narium copioſior adſit, juxta *Heurnium* □a craſſa & rubra, dorſi item dolor mitior, & exanthemata citius erumpunt, ac cum pruritu minori, certius tamen exinde ſignum peti poteſt, ſi variolis jamdum, nondum verò morbillis, vel vice verſa, æger laboraverit. Modo enim variolæ, modò morbilli præcedunt, ſæpe etiam ſe quaſi excipiunt brevi temporis intervallo; idq; circumſtantiæ aliæ conjunctæ magis limitant, in his vel illis individuis magis occurrentes.

CA-

# Caput VII.

## De
# Signis prognoſticis.

Cum prognoſtica omnia magis reſpectu habito ad vires & tolerantiam; quam abſolutè ſumenda ſint; ideo nos quoque omnia hic magis reſpectivè, quam abſolute enunciabimus.

I. Salutis & mortis præſagia & h. l. deſumi poſſunt è ſuis conſuetis fontibus, v. g.

Ex Essentialiter inhærentibus. Cum febris acuta hæc comitetur exanthemata, in quâ juxta *Coum, 2. aphoriſm. 19.* non omnino certæ ſunt ſalutis aut mortis prædictiones; hinc, ne in hoc quoque fallatur medicus, & præcipitet prædictionem, cautè procedendum eſſe judicamus. Magnos ergò & periculoſos affectus hoſce eſſe patet, quia morbi ſunt univerſales & acuti, non minus ſolidas, quam humoroſas & ſpirituoſas partes afficientes. Magni ſunt ob affectarum partium præſtantiam, cordis totiusque maſſæ ſanguineæ. Quando vero ætati fiunt diſſimiles, & adultos invadunt, majus ſubeſt periculum, quam in pueris, elogio *2. aphor. 34.* ut & gravius ferè decumbunt, qui hiberno & autumnali tempore afficiuntur, quam qui verno & æſtivo; obeſi, quam macilenti.

Periculoſius etiam illi laborant, quorum anteceſſoribus in familia exitiales fuere & contra. In gravidis quidem more acutorum aliorum *5. aphor. 30.* periculoſiores judicari itidem poſſunt; nihilominus tamen etiam in his caſibus robur naturæ ſpectandum eſt, ut exempla proſtent plurima, prægnantes citra periculum vitæ vel abortus expertas eſſe variolas; *vid. Schenckius lib. 6. de morbis expidemiis pag. 525. obſ. 106.* quod etiam à *Dn. D. Præſide* obſervatum meminimus. Ratio etiam addi illa poteſt, quod ebullitio febrilis non ita diu duret, ut in ardentibus aliis, ſed eruptione fiente remittat; unde non æquè oſcula vaſorum laxantur, ut hæmorrhagia uteri contra naturæ intentionem fiat.

Periculoſiores ſunt epidemiæ, plures eodem tempore corripientes & enecantes, quam ſparſæ, quæ cujusvis ſeu ſubjecti ſeu loci proprio invadunt vitio.

Ex POST-ESSENTIALIBUS ſi judicare velimus, non terreri quidem medicus æquè debet in initio gravitate ſymptomatum, deliriorum, convulſionum, & ſimilium, cum ut nox, ita & in genere tempus antecedens criſeos gravius eſſe ſoleat; ſin tamen eadem eò vehementiæ deveniant, ut naturæ æquatorem quaſi & ſphæram transgrediantur, ſi inſida ſint, ſi malum morem præ ſe ferant, lethales fere, vel ſaltim periculoſiores eſſe conſueverunt. Quò major ſcilicet malignitas, eò pejus prognoſticum formandum, & vice verſâ. Nec verò ſemper ab externa facie ſymptomatum apparenter mitiorum metiendus eſt hujus mali genius, cum ſæpe, ut in aquis lento gradu inſenſibiliter labentibus profunditas, ita hîc malignitas, abſcondita ſit. Quæ tamen ſtatui naturali revera propiora ſunt, ea meliora. Sic & ſi poſt eruptionem remittant & conquieſcant ſymptomata, ut & poſt efflorescentiam, benè ſperandum; ſin, quando res in vado eſſe debebat, febris recurrat gravior, ſi epileptici ſuperveniant poſtliminiò motus, ſi alia, peſſima.

In *facultate vitali*; in tenerioribus venam tangere curioſum magis eſt, quam neceſſarium, neque enim ob teneritudinem vaſorum conſtans præſagium ex pulſu in his formare licet. In adultioribus in magnitudine conſtans, & æquali tenore micans, nec in pejora ruens, ſpem ſemper meliorem præſtat; frequens, inordinatus, & inæqualis periculoſum opus aleæ exhibet, præcipuè ſi mox ab initio ſit debilior. Nihilominus nec hic, ut omnia alia gravia ſymptomata ante eruptionem apparentia, omnem ſpem abjiciendam indicat reliquis bene habentibus. Intermittens non adeo malus eſt, ſi crebriori ictu natura ſe ſuperiorem monſtret, morbus rariori interpolatione ejusdem minorem. Calor febrilis ſi poſt quartum diem, vel cum jam erumpunt exanthemata ad minimum, non aliqualiter remittit, non eſt ſine periculo. Si vires non ſtatim citra rationem, ſeu abſente fortiori calore, labaſcunt, ſed in æquilibrio manent, ſine majori anxietate; bonum eſt. His

con-

contraria ſiniſtrum indicant eventum, unde juxta *Sennertum:* Quò vires fortiores & ſymptomata mitiora ſunt, eo melior morbi eventus ſperandus; contra, quò vires debiliores, & ſymptomata graviora, eo morbus eſt periculoſior.

Reſpiratio ſublimis, citata, & quaſi ſuffocativa, cum voce rauca, malum præbet omen, *4. aphoriſm. 50.* non enim copioſos tantum & craſſos vapores aëris inſpirati tranſitum prohibere; ſed & interiora affecta, & ideo pulmonum expanſionem impeditam eſſe indicat. Inquietudo & δυσαρέστεια indifferenter ſe habent, metienda magis à ſignis concomitantibus, quam ex ſe ipſis.

*In facultate naturali* ſolidorum, & inprimis carnium faſtidium commune ſymptoma eſt omnium continuarum, ſi tamen etiamnum duret poſt eruptionem perfectam, recidivam facile denotat. Sitis deficiens peſſima, naturam ſibi amplius conſulere non poſſe notans, intenſiſſima minus periculoſa, media tamen optima.

*In facultate animali*, deliria ſtatim in principio accedentia, eaque graviora, ſine riſu, & ſomno non imminuta, oblivio conſtans cognitorum & agnatorum, decubitus negligens, denudatio indecens, ſingultus, motus convulſivi, tremores, ſyncope, ſtridor dentium, vigiliæ pertinaces, uti peſſima ſigna, ita ſæpe, ante & in eruptione, ut diximus, innoxia viſa ſunt. Si verò poſt eruptionem in eodem ſtatu permanentia durant, omnia lethalia ſunt. *Vid. B. Rolfinc. ord. & meth. comment. pag. 212.* Recordatio contra eorum, quæ quis amat, per morbum, bonum & vitale ſignum.

Nimia quoque ſomnolentia ſpiritus torpidos & ſanguinem vapeſcentem non rarò denotat, & ſæpe lethi ſoror eſt. Oculi torvi, feroces, cum bulborum dolore magno, & aliis ſignis malis, præcedunt deliria, ipſamque non raro mortem. Auditus difficultas in & poſt ſtatum innoxia, ſæpiſſimè ſalutaris eſt.

*In excretis & retentis* quo citius & cum εὐφορίᾳ exanthemata erumpunt, quod tertio vel quarto utplurimum die fit, & conſtantia manent, usque ad undecimum ſucceſſivè increſcunt, ſuppuranturque in variolis, ſymptomatibus miteſcentibus, & decidentibus poſtea tuberculis, eò melius. Contra, ſi expulſio non ſuccedit, vel ſi exanthemata retrocedunt intempeſtive, ſi con-

teſtim

feſtim marcent, partiumque tumor ſtatim remittit, citra ſymptomatum & caloris mitigationem, omnia malignitatem & lethalitatem arguunt.

Diarrhœæ eruptioni ſupervenientes omnes malæ, quia pluribus intenta minòr eſt ad ſingula, natura, quæ ad peripheriam noxia pellere conabatur; & ſingulari providentiâ alvum hinc ordinariè claudere ſolet, ut eò melius motui alteri, propulſioni à centro ad circumferentiam, vacare poſſit. Ita verò ſuis cadit auſis, humoresque maligni ad interiora ruunt. Nigræ tamen, lividæ, cruentæ, fœtidæ pejores, præſertim virides ab omnibus pro lethalibus habentur, ἀποχωρεῦσαι δὲ καλῶς ἀγαθαὶ juxta *4. aphoriſm. 47.* & contra. Sin bezoardicis, theriacalibus & aliis convenientibus diarrhœa cedat, & natura ad expulſionem ſe accingat iterum, benè res habet. In genere enim alvum adſtrictam eſſe præſtat, quàm fluidam, in quo quidem & medici aliquando & vulgus ſæpiſſimè falluntur. Quocirca *Excell. Dn. D. Præſes* rarius quidem has cum levamine conjunctas, duos tamen pueros, unum nigrâ diarrhœâ laborantem, ſingulari naturæ robore, evaſiſſe obſervavit.

Menſium fluxus eruptioni exanthematum horum ſuperveniens, ſæpenumero lethalis eſt, impedito naturæ motu & laxatis uberius capillamentis vaſorum. Sputum craſſum, cum ſeri immutatum ſtatum denotet, juxta *theorema 44. p. 75. Excell. Præſidis*, malum; cruentum utplurimum bonum. Tuſſis ſterilis pejor, quam quæ cum expectoratione, lentor circa dentes copioſior vehementiores denotat febres, juxta *4. aphoriſm. 53.* Hæmorrhagia narium copioſior, ante & in eruptione melior eſt, & exanthematum quantitatem imminuit: nullum verò paucum criticum, hinc ſi ſubſtillo evenit, peſſima eſt. ⊡a à ſignis concomitantibus regulatur, bonáne, an mala ſit. *Riverius* ⊡nam cruentam lethaliſſimam dicit *lib. XVII. cap. 11. pag. 550. de variolis & morbillis. Schenckius* contra hanc quoque curatam dicit *l. c. obſ. 107.* Sudores excretivi boni; reſolutivi & frigidi lethales, *4. aphoriſm. 37.*

In *qualitatibus mutatis* color faciei ut teſtatur de ſtatu ſanguinis, ita melior eſt, ſi rubet, quam ſi pallet, modò non exceſſive.

Fri-

Frigus extremorum peſſimum 7. *aphoriſm. 1.* Exanthematum color omnis malus, qui à rubedine vel citrino abit, violaceus tamen, fuſcus, nigricans, majorem malignitatem, & ſanguinis νέκρωσιν denotat: quò pertinet, ſi maculæ lividæ aliis rubris inſident, ſi petechiæ miſtæ ſunt, minora etiam pejora, quam media; ſi in toto corpore contigua ſunt, & confluunt ceu una maſſa pejus; ſie tantum in quadam parte, non adeò noxium eſt. Diſtinctæ tamen, rotundæ, faſtigiatæ, molles variolæ meliores. Cryſtalli omnium ſunt benigniſſimi, raro tamen æger per hos in totum ab hâc clade liberatur.

*Ratione ſubjecti* pejores, quæ interiora afficiunt, quàm quæ exteriora, quia illas ſæpius phthiſes, dyſenteriæ, gangrænæ, ſphacelus &c. ſequuntur. Externæ damnantur, ſi copioſiores in pectore & ventre ſint, quam artubus remotioribus, ad quos natura robuſta alias noxia pellit. In facie utplurimum copioſiores variolæ ſunt, non tam quia hæc hepatis, juxta nonnullos, eſt excerniculum, quàm quia laxior & vaſis lymphaticis plurimis pollet.

Cauſæ ratione pejores ſunt epidemiæ, quæ plures enecant, quos corripiunt, & ad peſtis naturam accedunt, quam ſparſæ, ubi peccans materia minor citius in actum deducitur à cauſis occaſionalibus mitioribus, & contra.

Durationis tempus acutorum more ordinariè ſunt dies quatuordecim; qui tamen adhuc ſuâ gaudent latitudine. Præcipue morbilli ob humorum mobilitatem citius ſua decurrunt tempora; & ſeptimo die non raro terminantur, qui ideo gravioribus ſæpè ſtipati ſunt ſymptomatibus, aſt perfectius hinc judicantur; calor etiam in morbillis ferè nullus poſt eruptionem manet, in variolis verò ob ſuppurationem aliquamdiu. Inſuper nulla ἐπιγεννήματα, ut variolæ, poſt ſe relinquunt, quo circa

Modus Eventus variat. Solvuntur enim variolæ, vel *perfectè* ad *ſalutem* cum poſt eruptionem, uſque ad diem undecimum creſcunt & ſuppurantur, omniaque ſymptomata remittunt, & febris cum horrore levi tota diſcedit, puſtulæque decidunt, primo in dorſo & facie, ultimo in manibus & pedibus; vel *imperfectè*, ubi non raro cœcitatem, innumeraque alia oculis inurunt

 vitia.

vitia. Non minus in reliquis partibus ab Autoribus ulcera rebellia, tumores, abſceſſus obſervati ſunt. Paralyſis etiam, raucedo, tabes, & alia ſæpè in horum locum cedunt. *Horſtius append. ad decad. 3. quæſt. 8. pag. 115.* linguam ad radicem uſque putrefactione abſumptam, & renatam ad miraculum annotavit.

Agmen claudunt in variolis communiſſimæ, & tantum non ſemper inſequentes cicatrices & foveæ fœdiſſimæ, quæ plurimos ad finem vitæ comitantur.

*Ad mortem* terminantur motibus convulſivis, non remittentibus poſt eruptionem, vel exanthematibus non erumpentibus, vel non venientibus, ad ſuppurationem, & retrocedentibus cum virium lapſu, frigore extremorum, aliisque lethalitatis ſignis.

## Cap. IX.

## *De Præſervantibus univerſalibus & particularibus.*

His ad theoriam ſpectantibus præmiſſis ipſam nunc aggredimur praxin, quæ methodo medendi & præſidiorum materiis abſolvitur, & non minus præſervationem & curationem, quam diætam complectitur. Turpius ejicitur quam non admittitur morbus. Præſervationem igitur præmittendam eſſe, meritò cenſemus.

Cum jam ſuperius à nobis dictum ſit, pauciſſimos hominum tam beatos eſſe, ut ab exanthematibus hiſce liberi ſint; facile pateſcit, univerſalem totius corporis præſervationem humanas ferè excedere vires. Cum enim fovens cauſa cujusvis individui maſſa ſanguinea à primo nutritionis momento ſit, quæ non minus moventibus inevitabilibus rebus non naturalibus, quam proprio marte in actum deduci poteſt; quis quæſo intrinſecā hanc radicitus exterminabit cauſam, quis harum particularum mobilitatem ligabit efficaciter, ut non potius bellatoris in morem omne jugum excutiendo ejici malint, quam corrigi, aut cohiberi? Quis denique extrinſecas cauſas arcebit innoxiè? Nihilominus

hanc

hanc quoque univerſalem præſervationem ſuſcipere nulli dubitamus; non quidem, ut totum debellemus morbum, ſed ut tantum nimis promptam ad eundem recipiendum aptitudinem mitigemus, & genium malignitatis ſurrepentis cohibendo, archeum conſortemus, ut vinci maneat neſcius.

Sit igitur prima cura, ut ebullitionis cauſæ intrinſecæ, particulæ nempe heterogeneæ, quæ archei dicto minus audientes ſunt, quovis modo è corpore eliminentur vel corrigantur. Duo enim hujus rei nominari poſſunt præſidia: *evacuantia* & *præcipitantia.*

Non ſemper verbis vel mulctis corriguntur in vitâ politicâ delinquentes, ſed &, nequicquam his adhibitis, civitate ejiciuntur: In praxi medicâ quoque non ſemper alterantia utramque faciunt paginam, ſed evacuandum ſæpe eſt, ne pars ſincera trahatur. In republicâ quocunque modo ſervari poteſt pax & quies, laborandum: In microcoſmo quicquid turbas dare poteſt, non eſt conſultum, ut negligas.

Prodeant igitur PURGANTIA, communiſſima Medicorum arma, quibus contra rebelles, & ad corrigendum minùs aptos humores utimur. Notabile vero eſt quod hîc debeant eſſe mitiora, non modo, quia ſæpius pueris, quàm adultis propinantur, ſed & ne fortiora nimis humores agitando has ipſas turbas, tantum abeſt, ut ſedent, ut potius easdem excitent, viresque proſternant. Deinde id apprimè & præcipuè expediunt balſamica, qualia ſunt aloetica. In exercitii vicem nominamus ſequentia.

℞: *rad. helenii, rhabarb. Alex. galap. mechoac. fol. ſenn. ſ. ſ.* ã. ʒij.
*flor. ſcabioſ. bugloſſ. viol. ſummitatum fumar.* ã. piij.
*lign. ſancti* ℥ß. *ſaſſafras, cortic. aurant.* ã. ʒß.
*paſſular. minorum* ℥ß. *ficuum pinguium* n. vj. *cremor.* ♀*ri* ʒiß.
Coq. in 🜄*æ cichor. ſcorzon.* ã. q. ſ. *in* MB.
Colaturæ ℥ix. adde
*ſirup. roſorum ſolutivi* ℥ß. *ſcammonii roſati* g̃. v.
M. S. Laxir-und Blut-reinigender Tranck auf etliche mahl.

℞. M*P* *peſtil. Ruff. de fumaria* ã. ℈ß.
*ſcammonii roſati* g̃. IIX. *cryſtallor.* ♀*ri* g̃. v.
*eſſentiæ fumariæ* parum. M. F. l. a. pilulæ.

 Suffi-

Sufficere poſſunt etiam pilulæ aloeticæ minores, blande lenientes & putredini reſiſtentes, ſemel vel bis per ſeptimanam propinandæ, infuſa item & noduli laxativi. Tacemus alia abundè ex fonte pharmaceutico nota, inter quæ vel ipſa gialapa quoque infantibus quandoque utiliter præ omnibus dari poteſt, & vel unica ſufficere.

VOMITORIA quoque ipſa, ſi materia vitioſa circa primas vias hæreat, maximi uſus eſſe poſſunt.

℞. MP *aloet.* ℈ß. *magiſter g.g.* g̃. vi. ♀*ri emetic.* g̃. ij. *ſirup. betonicæ* parum, °°*i aniſ.* g. j. M. F. l. a. pilulæ.

℞. ▽*æ centaur. minor. acaciæ* ã. ℥j. *md. aſar.* ⊖*is* ⊕*i* ã. ℈ß. ♀*ri emetic.* g̃. j. M. F. l. a. potio emetica.

Sunt, qui propinato recens nato infanti pulvillo emetico, & ſaburrâ vitioſâ hoc modo evacuatâ, præſervari poſſe à variolis eundem aſſerunt, quod ipſum ſanè non eſt de nihilo. Ita enim expurgato meconio, quod, quantum ad tormina inducenda, ad fermentationem M. S. ad epilepticos motus conferre poſſit, ſatis notum eſt; & charactere fermentativo ablato, pacatius degere vitalem purpuram, patet. *Digbæus* expreſſionem ſanguinis in vaſis umbilicalibus fœtus jam in lucem editi, ante ligationem & abſciſſionem accuratè inſtitutam, pro univerſali habet præſervativo, de quo jam ſuperius actum eſt.

Ex *præcipitantibus* duo proſtant univerſalia, acida & alcalina, utraque motum fermentativum diverſo reſpectu impedire apta nata. Illorum exempla præbent ∿*us ſalis,* ⊕*i ſimpl. & philoſ.* R̄*a aperitiva, roſar. viol. aquileg. clyſſus* ♁*ii* 🜍*atus* & ſimilia, it. *hepaticum rubrum, cremor & cryſtalli* ♀*i.* Horum, pulveres ex conchyliorum & teſtaceorum genere, *pulv. febril. Croll. lap.* ♋. & his affines alii. Quibus adeò fidunt nonnulli, ut etiam jamjam minantes exitum variolas & morbillos domare & ſupprimere iisdem ſuſtineant. Medii generis ſunt balſamica myrrhata, *eſſentia myrrhæ ſ. & compoſ. ſpec. liber. ſ. & cum aloe, pulv. præſervat. Dn. D. Præſ.* & ſimilia.

Facit huc & obſervatio diætæ. Caveat meticuloſus ab aere inſtabili, contagioſo, omnemque fugiat converſationem, his

affe-

affectibus laborantium. Cibi & potus uſus ſit moderatus, vitentur omnia facile fermenteſcibilia. Motus ſit moderatus, nec fortior poſt cibum ſumptum; quies ſit accommoda diſſipationi excrementorum ſuperfluorum.

Hæc omnia tamen, quæ hactenus diximus, cum grano ſalis ſunt intelligenda. Viſi ſunt ſæpe medici, his omnibus vel obſervatis, vel geſtis, vel ipſorum juſſu, ſe turpiter dediſſe. Invitâ Minervâ nil quicquam tentandum; aurigante verò naturâ felix ſæpe eventus conſequitur. Noti ſunt infantes ſolicitâ curâ præſervati, purgati, defenſi, & correpti tamen variolis & defuncti, in jus vocato aliquando medico. In neutro ergò excedendum eſt, conſultum eſt purgare, conſultum præcipitare, neutrum tamen ſine indicatione, cœco impetu, vel perſuaſione.

In PARTICULARI præſervatione imminentibus jam, vel etiam præſentibus exanthematibus, exterioribus quibusdam partibus proſpiciendum ſibi communiter ducunt, ne pars aliqua deturpetur inſigniter.

Potiſſima cura *faciei* eſſe ſolet, quam poros obviſcantibus, pinguibus vel terreis communiter defendere ſatagunt, quæ ſolicitudo inprimis ſequiorem ſexum manet. Sic lardo impoſito, vel ſparadrapo ex ſpermate ceti, cerâ, & ſimilibus id tentant aliquando non infeliciter. Meminimus Comitiſſam tribus filiabus ante proruptionem variolarum totam faciem virgineâ cerâ obduraſſe, easque ſic ab omnibus cicatricibus liberaſſe.

*Digbæus l. c. p. 70.* commendat *unguentum album*, ut & *℈um amygdal. dulc. cum fol. ☉ri*, quod in ancillâ ſic probatum dicit, ut dimidia faciei pars, quæ tecta fuit, ſalva manſerit, reliqua vero foveis maxime deturpata. Spectant huc & alia, ſi non ad præſervationem totalem, tamen ad lævigationem facientia, v. g.

℞. *unguenti reſumptivi, pomati* ā. ℥ß.
*pinguedinis viper. vel ſerpent.* ʒij.
*℈i amygd. dulc. ovorum.* ā. ʒiß.
*liquoris limacum* ℈iv. *coſmetici Clavii* ʒj.
M. F. l. a. unguentum. S. Euſerlich Sälblein.

℞. *unguent. alb. camphorat.* ℥ß. *pingued. humanæ*, 🜕*i nucum* ā. ℥ij. *pulv. ſpecifici. Mynſ. ad var.* ℥j. *magiſter benzoes* ℈j.
M. F. l. a. unguentum.

Solum oleum amygd. d. illitum maturationem & oleum ovorum poſt apertionem explanationem fovearum promovet. Huc pertinet etiam ▽*a folliculorum ulmi, lac virginis*, item ex *talco* parata medicamenta, balſam. ♀ris Rulandi, Indicum, ſuccus nicotianæ, cremor lactis. Quidam & ſpiritum ⊖is commendant.

Derivantibus non raro utitur vulgus. Sic memini me legere, virginem quandam Belgicam imminentibus variolis continuo pedes balneo tepido impoſuiſſe, unde quidem hoc obtinuit, quod nullæ faciem infeſtarent variolæ, ſed omnes ad pedes decumberent, illo vero cum infelici eventu, quod inde immedicabilem pedum paralyſin reportaverit.

Utut vero poſteriori ſcopo ad maculas fovearum delendas & explendas uſu ſuo non careant omninò iſthæc; ipſa tamen facies non æquè tùtò ſic defenditur. Succedit res ex voto nonnunquam, quando materia vitioſa non ita copioſa eſt, quo caſu etiam citra hæc talia maculæ non ſequuntur adeò deformes. Secus, ſi enormius defœdata ſit maſſa ſanguinea, ſi malignitas major, ſi alia obſtent, ne naturæ conatum impediendo eandem lædamus.

Oculorum defenſio inſtituitur avertentibus, & poros occludentibus, diſſipantibusque illapſuram materiam.

Tale hoc eſſe poteſt:

℞. ▽*æ roſarum, euphraſ. plantaginis* ā. ℥j.
*magiſt.* ♃*ni per* ⩨, *perl. præparat.* ā. ℈ß.
M. D. in vitr. S. Euſerlich Augen-Waſſer.

℞. ▽*æ fumariæ, chelidonii majoris* ā. ℥ß.
*tutiæ præparatæ, perlarum præparat.* ā. g̃. vj.
*camphor.* g̃. ij. *croci* g̃. iij. M. S. ut ſupra.

Quidam inſtillant ſanguinem columbinum, alii commendant frictionem cum ſapphiro vel ſmaragdo, quo etiam pertinet mucilago ſem. cydoniorum illita. Aurum per ambitum oculi circumductum laudatur à *Cratone*. Communiter etiam illinuntur *croco* cum *aq. roſ.* infuſo.

## Cap. IX.

# *Curationem aggreditur ex fonte chirurgico.*

ALtera praxeos pars eſt curatio, quæ ut ſuis nititur indicationibus; ita abſolvitur Præſidiorum materiis, ex fonte triplici deſumptis, *chirurgico*, *pharmaceutico* & *diætetico*.

Reſpiciunt nimirum hæc INDICATIONEM CURATORIAM, quæ ſeparationem iſtam heterogenearum particularum & excrementitiarum promovere jubet, malignitatemque humorum ad benigniorem ſtatum reducere, ut naturæ intentioni, quæ per loca conferentia ſe exonerare intentat, velificent; Et VITALEM, quæ viribus proſpicit labaſcentibus, & ſymptomatibus urgentibus. PRÆSERVATORIÆ enim *antecedenti* jam ſatisfactum eſt.

Ex FONTE CHIRURGICO primum ſe ſiſtit heroicum illud remedium, VENÆSECTIO. Hanc verò non empiricè vel admittimus promiſcuè, vel in totum rejicimus; ſed quid facto opus ſit, ex circumſtantiis colligimus.

Convenire hîc venæſectionem ſtatuimus, non tantum ob febris genium, quia putrida utplurimum eſt, ſed & ob ſeri notabiliorem in his præſentiam, ad quam in omni venæſectione maxime reſpiciendum eſt, ipſamque eo inclinantem, & viam per hæmorrhagias ſæpe monſtrantem naturam; quanquam febris ablatio nobis ferè nullius curæ ſit. Quocirca ſequentia potiora judicamus requiſita: Si æger provectioris ſit ætatis, magnus adſit calor, ſic ut conjunctam ſuperet malignitatem; ſi pulſus ſit magnus & vehemens, ſi plethora juncta per ſe ablationem ſui indicet, vireſque adhuc conſtantes ſint, & reliqua conſentiant, vena ſecanda eſt.

Quandoque etiam extraordinariè in eruptione natura per vomitum & mictum cruentum hoc modo ſibi ſuccurrendum eſſe monſtrat.

Con-

Contra infantibus VS. ordinariè non convenit, nec pueris, nec ſenibus. Quanquam omnis ætas annis tam ſtrictè non ſemper menſuranda eſt, quam viribus & aliis. Nec adminiſtranda eſt, ubi pulſus frequens & rarus, ubi malignitas magis, quàm calor urget, ubi corpus nimis obeſum eſt, quippe quod minus ſanguinis habet, quàm graciles & carnoſi: ubi lipothymiæ, & vires debiles, indicationum tyranni, diſſvadent. Quod utplurimum contingit, morbo jamjam ad ſtatum propius vergente.

Quocirca *tempus* adminiſtrationis ſit principium morbi, primi duo dies vel tertius, ad ſummum quartus. Poſt eruptionem ordinariè vix amplius habebit locum, niſi forſan minorum venarum apertio, quæ etiam quandoque ibi concedi poteſt, ubi ætas, vires, & reliqua jam enumerata, majorum venarum ſectionem diſſuadent.

Quantitatem determinant vires, temperamentum, morbi vehementia, victus ratio prægreſſa, & regionis genius. In borealibus regionibus parcior, in meridionalibus largior convenit V. S. unde in noſtris regionibus ℥iij vel ℥iv ferè ſufficiunt.

*Locus*, cum finis ſit univerſalis evacuatio, curioſè non determinandus eſt. Quo plura eaque fortiora indicant ſigna, eo majora vaſa aperiri poſſunt, & contra. Ad revellendum tamen à capite, pro declinandis deliriis, & copioſâ eruptione in facie, maximè juvabunt venæ in pedibus ſectæ.

Patet ex his, quod media via omnium ſit optima. Reperiuntur etiamnum hodie heluones in adminiſtratione ſectionis venarum, inter quos illi potiſſimum primas tenent, qui, quocunque calore p. n. obvio, venæſectionem adhibent. omni ætatis, & virium poſthabito reſpectu. Hos imitari planè inconſultum putamus. Infantes quoque & pueri, cum cutim tranſpirationi aptam, vitaleque robur vegetum habeant, raro tam graviter decumbunt, ut ejusmodi heroicum expoſcant medicamentum. Adde, quod huic ferundo impares ſint, quod teneram vitalem flammam, copioſam licet, extinguere facile poteſt. De quo videatur *Sennertus in paralipom. ad inſtit. cap. 22.* Senes verò non minus viribus, quam annis tales, jam antea frigidi, & pauco ſanguine præditi, facile hoc modo deſubito exſtinguuntur.

Alii

Alii contra in ſectione venarum Euclíones ſunt, & præcipuè hîc nullo in modo convenire dicunt. Inter quos præcipui *Helmontius, Langius* & *Martianus*, qui penitus damnant eandem: alii, qui cæteroquin illam admittunt, timent, hoc pacto malum ad interiora revocari, naturamque ita debilitari putant, ut expulſionis opus abſolvere nequeat. Has vero rationes, cum tantæ non ſint, ut jam antea allatas deſtruant, poſtponere nulli dubitamus, præcipuè cum non minoris ſortis Autores noſtras quoque partes teneant, inter quos eminent *Excell. Dn. D. Horſtius*, Patronus meus maximè colendus, *manuduct. ad medic. pag.* 231. & *B. Rolfincius O. & M. pag.* 353. Inprimis *Excellentiſſimus Dn. D. Præſes* obſervavit plus vice ſimplici, poſt hanc rite adminiſtratam melius longè & citius exanthemata erupiſſe, cum parte rebelli demptâ de reſiduâ natura facilius egerit triumphum.

Maxime vero hîc quoque ab aliis ſapere diſcat Medicus, ut malignitatis genium probe perſpectum habeat. Quod fieri poteſt, ſi conſideret, quomodo alii eodem morbo laborantes, iisdem indicationibus præſentibus, V. Sem præferant. Quandoque enim ob hanc omnes mori, quibus adminiſtratur in malignis V. S. quandoque nullum evadere, cui non adminiſtratur, unanimis autorum eſt conſenſus.

Vicariæ aliàs venæ ſectionis *cucurbitulæ* minus applicari in variolis conſueverunt.

Pertinent huc etiam blandæ extremorum & dorſi FRICTIONES quæ ob tractionem humorum ad partes remotiores egregiæ ſunt efficaciæ.

## CAPUT. X.

*De*

# *Remediis ex fonte pharmacevtico.*

PHarmacia omnium primò nobis exhibet PURGANTIA quæ in his affectibus in uſum trahenda ſint, non levis inter Autores eſt diſſenſus. *Grülingius* aliique leniora extollunt, vel ipſos ſaltim clyſteres. Nos à purgantibus in totum abſtinendum hîc eſſe judicamus. Cum enim Medicus ſit naturæ miniſter, facile patet, ipſam bene agentem, in opere ſuo non turban-

dam, nec, quo non tendit, trahendam, ſed aberrantem ducendam eſſe. Ipſam vero hîc minus errare certum eſt, cum noxia à partibus nobilioribus ad ignobiliores pellit. Purgantia contra ad centrum eadem cogunt, laxa enim alvus repentinum exanthematum regreſſum ſemper denotat.

Nec leniora ab hiſce noxis eximuntur, cum in tanto humorum orgaſmo, præter jam enumerata mala, lethales hypercatharſes excitare ſint aptiſſima, non tam vi propriâ, quàm peccantium humorum mobilitate & acrimoniâ, qui etiam leni dato ſtimulo à circumferentiâ ad inteſtina præcipitanter ruunt. Ubi verò certum eſt, non à contagio, ſed ab errore diætæ potiſſimum malum hoc eſſe contractum, & materiam adhuc in primis viis hærere, ibi lene quodam purgans, vomitorium, aut clyſter, in præſervatione jam recenſita, prima ſtatim die, & ebullitionis momento, ſi ſtatus adhuc quaſi neuter eſt, ſine noxâ propinari poteſt, ut &, ſi alvus ultra octavum vel nonum diem ſit adſtricta, innoxie pilulæ aloeticæ ad ℈ß. dari poſſunt, ſuppoſitorio etiam tunc ſolicitari poteſt ex ſolo melle, ſine ſale, confecto alvus.

Præmiſſis hiſce, recta ad febrim & humorum fervorem nos conferimus. Hæc verò tantum abeſt, ut ſedare conemur, ut potius omnis movendus ſit lapis, quo in æquilibrio eadem ſervemus. Graviſſime enim illos peccare putamus, qui ſolis refrigerantibus vel ſolis ⚖tantibus efferveſcentiæ ſanguinis ſedandæ & febris curationi incumbunt, poſthabita expulſione & malignitate. Quocirca potius naturæ intentio noſtra prima cura ſit, quæ ad extimam veſtem omne vitium tentat protrudere.

Obtinebimus hunc finem non niſi DIAPHORETICIS, iisque magis BEZOARDICIS, ut altero oculo ad malignitatem ſemper reſpiciamus. Uti verò hæc volatilia & fixa ſunt, ita utraq; promiſcuè propinare, erit inconvenientiſſimum. Illa igitur, quod ex methodo *Dn. D. Præſidis* noſtri hauſimus, magis in principio, & ubi major malignitas, ſeu, quod natura in expulſione ceſſet, ſeu quod retrocedere exanthemata videantur, vel ob diætæ errorem, vel naturæ impotentiam, cum reſpiratione difficili, aliisque ſupra jam allatis ſignis, conveniunt. Ubi tamen maximè notatu dignum eſt, ne his ſolis, & nimis diu inhæreamus, ſed ſemper cum fixioribus & temperanti-

bus

bus aqueis & quandoque acidis hæc maritemus, alias ſpiritibus jamdum in motu conſtitutis nil niſi alas addemus, qui poſtea nullo coërceri poterunt vinculo.

Hæc vero, ubi alteratione & præcipitatione magis opus eſt, & magis poſt principia, circa ſtatum & declinationem uſurpanda ſunt; non, ut omnem his ſedemus ebullitionem, qui exceſſus vitiatas cruoris particulas plus debito in portiones congelatas agit, vel licet vincat natura, non raro tamen recidivam cauſatur, ſed potius, ut iiſdem limites effervеſcentiæ ponamus, blandam diaphoreſin uſque in ſanguine continuando, ne extra oleas, quod ajunt, impune vagetur. Ex priorum claſſe exercitii gratia ſequentes appoſuimus formulas.

℞. Ɽæ *bezoardicæ Excell. Dn. D. Præſ.* ʒij. *mixt. ſimpl.* ♀*riſat.* ʒj. ∾*us C.C. eſſentif.* ℈ß. M. D. in vitro. S. Auſtreibende Mixtur auff etliche mahl.

℞. ∾*us corn. cerv. eboris*, ā. ʒß. ♀*ri compoſiti* ℈ij.
M. S. ut ſupra.

℞. *aq. ſcorzon. card. bened. cord. H. S. frig.* ā. ℥ij.
Ɽæ *bezoard. Rolf.* ʒj. *pulv. epil. March.* ℈j. *ſir. acetoſ. citr.* ʒiij.
M. D. in fict. S. Hertz-Tränklein.

℞. ⊖*is volat C. C.* g̃. xv. *magiſt. ſpin. viper. C. C. phil.* ā. ℈j.
M. F. Pulvis S. auſtreibend Pulver.

Utut verò de ſpiritu cornu cervi ante aliquot annos dubium, ex eventu ſiniſtro, alicubi ortum fuerit, eoque nomine diverſarum Academiarum judicia conquiſita fuerint; certum tamen eſt per rationem & experientiam, eſſe hoc remedium tutum & innoxium, nullumque potentius juvare expulſionem, & vigorare ſanguinem hoc ipſo, cui tamen paria, ſi non majora, ∾us eboris præſtat.

Aſt in hoc tamen cautelâ opus eſt, & præcipuâ curâ, ne vel iſtiusmodi volatilibus nimis rarefiat ſanguis, effereturque & ad incitas quaſi adigatur archeus, ſatis jam propulſans, quod noxium eſt; vel meris merisque fixis & temperatis minus debito auxilium acquirat natura, ſeu metu volatilium iſtorum vano, ſeu alio, adeoque oneri ſuccumbat. Par ratio eſt impellentium externorum;

 ſuda-

ſudationum, quibus tantum non ſuffocantur quaſi ægri, triſtiſſimo exemplo. Ex poſteriorum, fixiorum nempe, genere ſequentia ordinari poterunt, ut provide reliquis interpolentur, vel ſeorſim quoque propinentur.

℞. *pulveris bezoardici Sennerti* ʒß. *pannonici rubri* ℈j.
*bezoardici* ♂*ialis* g̃. xv. *magiſter. ſpin. viper. coraliorum* ℈j.
M.F.l.a. Pulvis. D. in chartâ. S. Austreibendes Hertz-Pulver.

℞. *lapid. bezoardici orientalis, eboris ſine* △*e parati* ā. ℈j.
*bezoard.* ☉*aris* ℈ß. *ſpec. de hyacinth.* g̃. xv. *ol. citri* gt. j. M.

℞ ♁*ii diaphoretici, lapid. cancrorum præparat.* ā. ℈ij.
*C. C. philoſ.* ▽*æ ſigillatæ, Lemniæ, unicornu veri* ā. ℈j.
⊖*is card. bened. lap. bez. occ.* ā. ℈ß. M. S. Hertz-Pulver.

Tandem etiam alterantibus & confortantibus ſiti, ſeri defectui & acrimoniæ, aliisque ſymptomatibus eſt ſuccurrendum; qualia ſunt, quæ ſubſtantificè ſerum augent & diluunt, ejusque ichoreſcentiam impediunt. Mosa quidem plurimi hîc quoque commendant, quod & *Digbæus* facit *l. c. p. 180.* cum verò & ebullitionem ſedent, & alvum aperiant, quod utrumque naturæ intentioni contrariatur, in aliis quidem ea concedimus febribus, hic vero minus.

℞. *ſeminis aquilegiæ, napi, cardui benedicti* ā. ʒij. citr. ʒj.
▽*æ fumariæ, ſcorzoneræ, cordialis H. S. frig. card. bened.* ā. ℥ix.
M.F.l.a. Emulſio. Edulcoretur ſacchari perlati parum, addatur
*pulv. bezoardicis ennert.* ℈j. S. Stärckende Milch.

℞. *decocti ſcorzoneræ c. C.C.* ℥vj. R*æ coraliorum, aquilegiæ* ā. ʒij.
*extracti theriacalis, confectionis de hyacintho* ā. ʒß.
♁*ii diaphoretici* ℈j. *ſirupi acetoſitatis citri* ℥j. M. F. Potio.
S. Hertzſtärck- und austreibender Tranck.

Pertinet huc decoctum milii ſolis & lentium, quod magis, ubi ſanguis nimis ebullit, & alvus aperta eſt, convenit, quia aciditate ſua figit, & adſtringit: alii ob ſignaturam hic convenire dicunt, quæ tamen parum facere poteſt; prodeſt etiam aqua ulmariæ, expulſiva compoſita, typharum C. C. &c. Tacemus, quæ à veteribus ad ſedandam ebullitionem & incraſſandum ſanguinem ex ſem. melon. ſumach, agreſtâ, tragacanthâ, gummi laccæ &c. commendata ſunt, quorum pleraque hodiernâ praxi non probantur.

tur. Id tamen ex eo apparet, cavere voluiſſe & ipſos, ne nimiâ rarefactione naturæ motus impediretur.

Apertionem tandem variolarum vel in totum intermittendam putamus, vel tunc inſtituendam, cum perfectè ad maturitatem pervenere, & pus contentum acrius mordicat, de quo *vid. Lang. in epiſt. pag. 72. & Abuali l. c.* qui pinguium applicationem prohibet, aquam verò ſalſam, croco medicatam, commendat. Inſtrumentum poteſt eſſe acus, de cujus materiâ, utpote curioſâ magis, quam utili diſceptatione, inpræſentiarum parum ſoliciti ſumus.

Symptomatibus urgentibus quoque ſuccurrendum eſt, quæ aliàs tum remorantur, tum in totum inhibent expulſionem. Sic ſæpe obſervavit *Excell. Dn. D. Præſ.* non prius erupiſſe exanthemata, quam vomitus enormior fuerit ſedatus. Siſtitur verò ille tum opiatis, tum bezoardicis v. g. ſequentibus:

℞. *extracti theriac. mithridat.* ã. ℈. iix. *laudani opiati* ℈. ß. *magiſterii coral.* ▽*æ ſigillatæ* ã. ℈. iij. *eſſent. theriac.* q. ſ. Miſce F. l. a. pilulæ.

Opium quidem hîc multi excludunt, ob febrim, vires, & alia, ſed experientia teſtatur, hoc in refracta doſi adhibito, exanthemata paulo poſt in ſomno cum leni ſudore prorupiſſe. Mitigatis nempe ſymptomatibus natura ipſa exſurgit, & cum hac diaphoreſi ſibi inimica propellit, de quo *vid. Excell. Dn. D. Præſidis opiologia p. 101.*

Ubi verò aliud quid ejusdem adhibitionem in ſubſtantiâ prohibet, ibi cum opio parata medicamenta propinari poſſunt, quod maxime in tenerioribus, infantibus, & pueris locum habet. His ipſis etiam diarrhœæ ſiſtuntur, quibus bezoardica & diaphoretica in majori doſi addi poſſunt, unde *Crato l. 4. epiſt. med. pag. 393.* nobis non contrariatur, qui fluorem alvi non comprimendum eſſe ſuadet, ſed mitigandum iis, quæ malignitatem humorum temperant, & ad ſuperficiem corporis expellunt. In infantibus quandoque anthelminthica addenda ſunt, ſi diarrhœæ ſimul à lumbricis oriuntur. Optimè huic proſpicit pulvis ſtypticus *Excell. D. D. Præſ.* rite adhibitus, qui ipſe quoque eſt unà bezoardicus.

*Hæmorrhagia* nimia multifariam ſiſtitur, à ſolis verò actu frigidis epithematibus hic caveat quisque ſibi. Repetenda huc ex propriis fontibus amuleta, ut ex bufone exſiccato, circa collum appenſo, aliaq;.

*Convulſiones* antepilepticis ſedantur, & potiſſimum ~u C.C. & ♁rinis. *Mictio cruenta* ſi conjuncta eſt, cum à renibus affectis oriatur, curatur emulſionibus ex *ſem. frig. maj.* cum *trochiſcis alkekengi, de carabe* &c. quibus tamen omnibus tum bezoardica maritanda, tum aliunde ſatisfaciendum. Reliquis non urgentibus diutius inhærere non attinet.

Præcipuè etiam attendendum *palatum & pulmones*, qui ob copiam ſanguinis illuc tranſeuntis, & ſubſtantiam ſuam membranaceam huic periculo maximè ſunt expoſiti. Facile enim vel exulceratio in his ſequitur, vel motus impeditur ſubſequente ſuffocatione. A nimium ſaccharatis vero, ut ſirupiſatis, quippe facile fermenteſcibilibus, quantum fieri poteſt, abſtinendum eſt. Hinc juſcula avenacea optima ſunt, ut & oleum amygdalorum dulcium recens. Sin expectoratio his non ſuccedit, ob materiæ craſſitiem, proderunt pulveres pectorales, linctus, & alia, quorum vel meminiſſe ſatis fuerit.

Conſultum etiam eſt gargariſmatibus & injectionibus huic ſcopo ſatisfacere, v. g.

℞. ▽*æ prunellæ, plantaginis, liguſtr.* ā. ℥iv.
⊕*i* ♁*iati* ʒiij. *ſirupi de jujubis de roſ. ſicc.* ā. ℥ß.
M. S. Gurgel-Waſſer. Sic & *gelatina* C. C. dulcis, recens parata, reſolubilis, utroque nomine commendari poteſt.

Inſuper ſi ex difficili reſpiratione, & aliis in antecedentibus jam enumeratis ſignis, ſuſpicio adſit, interiores partes etiam affectas eſſe, ſuccurrendum eſt iisdem, præter jam dicta expellentia, roborantibus, ſaponariis, & traumaticis, ex *terrâ ſigillatâ*, ♁*io diaphoret. lap.* ♋. &c.

## Cap. XI.

## *De Diæta.*

Diæta legitimo ſex rerum non naturalium regimine abſolvitur, & eſt triplex : *naturalis, vitalis* & *animalis.*

In naturali proſunt juſcula avenacea, hordeacea, cum paſſulis, ſucco citri, ptiſana, gelatina C.C. dulci & acida, &c. Pro potu quandoque ſolum decoctū hordei cum C.C. uſto vel ſcorzonerâ ſufficit. Cerevisia ſit tenuis, medicata cum ℞â florum aquilegiæ, vel nodulo

ex

ex ſem.aquileg.terr.ſigill.C.C.philoſ. Potus pro ſiti ſedandâ non facilè denegandus. Vitentur carnes, & piſces minus bonæ notæ, nec cum jam morbo defunctus eſt æger, ſtatim nimium indulgeat appetitui. Omnia nimis ſalſa, acria, dulcia, aromatica fugiat, unde nec decoctum ficuum ſolum ſuaſerimus, cum ebullitionem putridorū humorum augere queat. Omnes fructus horarii, iique potiſſimum incocti cane pejus ac angue fugiendi, recidivam enim, ſi unquam aliud quid, cauſantur. Cereviſia pinguior & minus defecata noxia; Vinum vitetur: rubrum tamen, quod, ob ſignaturam vulgus commendat, moderatè, in aſvetis præſertim, admitti poteſt.

In VITALI AER ſit ex calido temperatus, nimis calidus ſuffocat, quod jam monuimus, frigidus maximè arcendus, quia motum naturæ peſſundat, poros occludit, exanthemata retro pellit, & conſequenter ſæpiſſimè mortem inducit. Nec maturè nimis etiam in declinatione ei exponatur corpus, quam in rem rectiſſimè *B. Rolfincius ord. & meth. comment. l.3. ſ.2. c.7. p.196.* Ei ſi exponantur, *ait*, nimis properè pueri à variolis liberati, cùm res videtur in vado, graviſſimum periculum.

Panno rubro obtegi ægrum permittere poteſt Medicus, cujus juvamen alii deducunt ex imaginatione ſanguinem movente, cum adſpiciendus ſit, non tangendus; alii ob arſenicum, cujus ope tingantur hæc integumenta, prodeſſe putant, alii ob grana chermes, cum confectio alkermes infantulorum thoraci inuncta copiosè hæc proliciat exanthemata, de quo vid. *Simon Pauli.*

Ovem vel vervecem, juxta *Riverium in praxi l. c.* in cubiculo detinendum ſuadent alii.

In ANIMALI SOMNUS non ineatur ante aſſumptum bezoardicum, & ſit cum vigiliis moderatus. QUIES præ motu ſit amica. ALVUS ante perfectam eruptionem, etiamſi diutius paulò adſtricta ſit, intempeſtivè non aperiatur. Videri hanc in rem meretur obſervatio elegans apud *Langium, diſſert. de morbill.* §.99. *& ſeqq. pag. 135. ſeqq.*

ANIMI AFFECTUS omnes fugiendi, gaudium tamen præ triſtitiâ amplectendum. Operam prudentibus promiſſis det Medicus, ut æger, cum Deo, brevi meliora ſperet.

*SOLI DEO SIT LAUS ET GLORIA.*

PОrrigis ingenium Medico plaudente Senatu,
Apprecor, ut patriis poſſis mox fulgere in oris
*Morborum domitor.* Porrò res fortiter urge.

*Ita*
*Præ-Eximio Dn. Autori amicâ m. & m. animitus gratul.*
Johann. Volk. Bechmann / D.
h. t. Collegl Jurid. IIX. Decan.

---

*SI commune malum tolli communibus auſis*
*debet, & eximiè id depellens laude beandus,*
*Tu celebrandus eris utroq; hoc nomine multum,*
*quod morbos iſtos puerorum tollere ſcripto*
*perdocto monſtras. Meditatur præmia Phœbus,*
*præmia, quæ capiti venient cum fœnore largo.*

Nobil. Dn. Reſpondenti de felicibus in medico
ſtudio progreſſibus ex animo gratulor
PRÆSES.

---

SIcubi vivificum nectar conſurgit in altum,
fluctibus igniferis infantum corpora turgent;
exardent latices: dolor ingens lapſus in artus
excoquit hoſtiles undas, ſpumantia vaſa
tubera protrudunt fœdô manantia tabô.
Dum tenerûm tantos æſtus tantosque labores
perpendis ſolidè, methodum monſtrasque medendi,
gratulor, & porrò ſucceſſus comprecor amplos,
quò ſiliquæ dulces animi ſic carcere ruptô
protrudant fructus lætos & nobile germen!

*Conatus egregios*
*Nob. Dn. SCHOTTII,*
*Amici honoratiſſimi,*
*ulterius feliciſſimos precatur*
Auguſtinus Henricus Faſchius, D.
Anat. Chir. & Botan. Prof. Publ.

*FINIS.*